



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

10. Peccata, quae in damnum tertij vergunt, & quae solùm peccanti nocent, in quo differant?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

existimaretur correctio vel inductio testium profutura. Ita *Suar. tom 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. n. 36.* Ratio, quia denunciatio judicialis tendit ad bonum commune delicto delinquentis damnificatum, per punitionem reparandum, & secundariò ad delinquentem corrigendum. Cùm ergo hujusmodi delictis bonum commune læsum non sit, & ex alia parte non appareat necessitas denunciationis judicialis ad delinquentis correctionem, nequaquam fieri debet, quin secreto priùs corripiatur. Præterea, si in his peccatis ordo correctionis servandus non est, in nullis erit ex necessitate servandus: nam in peccatis omninò secretis ( ut paulò infra dicemus ) rarò potest ad denunciationem judicialem procedi: in omninò publicis non est præmittenda, neq; inductio testium: Ergò ne dicamus processum correctionis à Christo præscriptum fore inutilem, affirmandum est in iis peccatis, quæ partim sunt secreta, partim publica, servari optimè posse.

10. Est tamen magna differentia inter hæc peccata, quæ solum peccanti nocuumentum afferunt, & inter illa quæ aliis no-

cent: in delictis enim soli peccanti noxiis, sufficit probabilis spes seu non desperatio fructus, ut correctio secreta debeat ex præcepto Divino præmitti: at in peccatis damnum tertio inferentibus, certitudo moralis requiritur, id est, quæ omne dubium in contrarium excludat de fructu correctionis & evitacionis omnium damnorum, quæ timentur. Ita *Suar. de Charitate. disp. 8. S. 6. n. 6. pag. 760.* Undè infero in iis peccatis, quæ partim sunt secreta, partim publica, quæque delinquenti solum damnum inferunt, regulariter loquendo servandum esse ordinem à Christo præscriptum.

6 II. Gravissima tamen est difficultas, an in delictis omninò secretis, quæ in iudicio probari non possunt, ut sunt, quæ ab uno tantum, præter committentem sciuntur, judicialiter denuncianda sint, si in damnum tertii vel communitatis vergant? Et quidem si per monitionem secretam delinquenti vel alteri tertio factam sufficienter intelligitur damnum imminens reparari, clarum ferè est, non esse locum denunciationi judiciali, hæc enim solum apponi